

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ad Solennia Gymnasii Elbingensis, Quibus Leges
Scholasticæ prælegentur, Et Juventus Studiosa lustrabitur,
d. V. Septembris, A.O.R. MDCCXV. horis à ...**

Koitzsch, Christian Jacob

Elbingae, [1715?]

VD18 13459562

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197297



Ogitanti mihi, ac circumspicienti
argumentum, quo annua Gymnasii,
quæ redit, solennitas innotesceret,
forte sub oculos venerunt illa Paulini,
Episcopi Nolani, verba notatu di-
gnissima, quibus Cytherium, ejusque
domesticos, ad pietatis studium
hortatur:

*Estote, inquit, nudi seculo,
Veniens ut hujus seculi princeps, nihil
Inveniat in vobis suum. (a)*

Translata hæc videntur ex sermone Salvatoris nostri, quo,
morti vicinus, suam & pugnam cum diabolo, & victoriam
prædixit. Sic enim locutum eum cum discipulis esse legi-
mus: *Venit princeps mundi hujus, & nihil in me invenit. (b)*
Quibus verbis ostenditur, quam sint arma, quibus
terribilis homini, & noxius Satanas evadat: & quo modo
ab impetu ejus nos vindicare, bonaque per Christum nobis
parta adversum ejus insidias tueri possimus. Princeps
vocatur seculi, non quod potestatis quicquam in res crea-
tas

(a) p. m. 851.

(b) Joh. XIV, 30.

tas habeat; quippe qui ne porcos quidem, nisi impetrata
venia, potuit invadere: sed quia opus suum & dominium
in hominibus seculi exercet.

Nam in morum pravitate, cujus auctor ipse est, & in
peccatorum fordibus, quas in mundum invexit, vis ejus
omnis ac potestas consistit. Hisce cum aditus pateret, in
mentes hominum se infundens, veneno suo ita omnia in-
fecit ac corrumpit, ut totus jam mundus, quantuscunque est,
in hoc maligno jaceat. Prava cupiditates, earumque ille-
cebra, sunt arma, quibus oppugnat & opprimit incautos:
hæ sunt vincula, quibus constrictos tenet, quos sibi
subjugavit. Hæ tam propria illius sunt, quam fontis, ex
quo emanavit, est aqua. Suum ergo invenit, ubi peccata,
flagitia, scelera perpetrantur; hæc enim opera ejus sunt:
suum reperit, ubi superbia, luxuria, avaritia, aliaque pra-
vitatibus studia dominantur; hæc enim indoles, ac natura ejus
est: suum deprehendit, ubi delectationum illecebra, vo-
luptatum lenocinia, pravitarum materia fovetur; nam
per hæc aditus ipsi ad interiora mentis humanæ aperitur;
per hæc tentat animos, flectit, & expugnat.

Testem hujus rei Johannem Apostolum habemus: (c)
Filioli, inquit, ne diligite mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.
Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam
quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & concupiscentia oculo-
rum, & arrogantia vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo.
His explanat vir sanctus, quamnam sint illa, quibus nudi
esse, & quæ fugere debeamus: nimirum omnia ea, quæ non
sunt ex Patre, sed ex mundo, ejusque principe immundo.
Christiani enim sunt templa Spiritus S. ac domicilia Dei.
Qui dum in illis habitat, solus vult eos regere, affectus &
mo.

(c) I. Joh. II, 15. 16.

motus eorum omnes gubernare, & quasi animæ anima esse, eam illuminando, vivificando, informando; dirigendoque & corpus & linguam. Quicquid fit, in Deo fieri debet; nec in societatem mundus, aut quicquam ex illo admittendum est. Sit hæc ipsi regula constans, universalis, & perpetua, fugere omne illud, quod non ex Patre est, quamcunque bonitatis speciem præ se ferat. Si quicquam suorum mundus sub specioso libertatis Evangelicæ, aut rerum indifferentium nomine commendat: statim ad normam hanc divinam illud exigat verus Christi affecla, quærens, sitne, quod commendatur, ex Patre, an ex mundo; nec facile dissimulare vitiositatem suam poterit. Si pro licitis oblectamenta sua venditare, & hoc titulo obtrudere idem mundus audeat, in Scripturis Sacris nec præcepta ea, nec prohibita esse contendens; contrarium hæc regula, ex primo Decalogi præcepto petita, demonstrabit: quia non ex Patre, sed ex mundo sunt. Solum autem Deum, non mundum, nec quicquam mundi, diligere debemus, & quidem ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Nil amoris, nil voluntatis, nil virium, nil cogitationum, nil actionum, nil temporis, quod Deo non debeat, hic excipi videmus. Nihil ergo licitum Christiano est, quod ex Patre non est: nec conveniens ipsi habendum, quod amoris Dei repugnat. Omne, quod non ex Patre, sed ex mundo, vitiositatis omnis seminario, & malitiæ complexu est, si diligitur, & in deliciis habetur, Dei amorem, eoque ejus gratiam & favorem excludit. Nam si quis mundum diligit, in eo non est Patris charitas: utpote qui nec diligit Patrem, nec ab ipso in hoc statu potest diligi, fide salvifica destitutus. Potestne vero licitum aut indifferens esse, quod amorem Dei excludit, fidemque excutit?

Quæ

Quæ licet clara apertaue satis sint, ut quilibet, quid fugiendum sit, facillime queat perspicere: ea tamen ingenii humani, seculi amore capti, vel cæcitas est, ut intelligere nolit, vel levitas, ut quovis honestatis fucio sibi imponi patiat. Hinc Apostolus specialiora addit, & tribus capitibus, quicquid in mundo vitiosi est, comprehendit; nominans cupiditatem carnis, concupiscentiam oculorum, & fastum vitæ. Quid per carnis cupiditatem significetur, obscurum esse non potest. Ea enim voluptas est, quæ corpore hominis ad ea, quæ concupiscentia sitit, abutitur explenda. Quo pertinet incontinentia, intemperantia, & quicquid luxuriæ inservit. Ad concupiscentiam oculorum Sebastianus Schmidius, Theologus Ecclesiæ nostræ æstimatissimus, (d) avariciam, quæ videndis opibus suis delectatur, nec non spectacula, & similia oculorum delectamenta refert. Est enim voluptas, quæ visu abutitur ad peccata, easque vanitates, quæ in delectatione inordinata oculorum terminantur, oblectante se homine videndo. Superbia denique, & fastus vitæ, est omnis elatio animi, inanis ostentatio, vanæ gloriæ studium, ambitio, & appetitio honorum atque dignitatum. Hæ sunt seculi sordes, ut Petrus vocat, (e) quæ delectantur ii, qui mundo sunt dediti, & quibus se ostentant, tanquam singularis prudentiæ specimine: simplicitatis nescio cuius arguentes omnes illos, qui, quasi vivere nesciant, caduca & vana gaudia aspernantur, & mundanam cupiditatis corruptelam fugiunt. Nudi vero his omnibus esse student qui Christo induri esse volunt. Sciunt, esse larvam diaboli, quicquid non congruat imagini divinæ.

Et quia æterna ac invisibilia tantum spectant, ea ipsorum

(d) Commentar. in h. l.

(e) 2. Petr. II, 20.

rum cautio est, ut propter insidiantes illorum blanditias, non solum animum, sed oculos etiam contineant, ab iisq; solícite avertant. Sic enim legimus Davidem fecisse, qui ita Deo supplicavit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* (f) Quid vero sunt vanitates, nisi vana seculi studia, delectamenta, pompæ, opiniones, jactationes, & consuetudines: quæ cum mundo evanescente evanescent, nec quicquam veritatis atque soliditatis habent? *Mundus enim præterit, & cupiditas ejus: qui vero facit voluntatem DEI, manet in æternum.* (g) Justorum igitur prudentiam fortiti, cum æternitati studeant, haud quicquam appetunt, nisi cujus fructus æternos esse norunt. Quodlibet dictum, factum, cogitatum seminis instar esse, quod dispari fecunditate, vel carne seu prava concupiscentia conceptum, perniciosi; vel spiritui mandatum, salutis æternæ fructus procreet, ex divinis oraculis didicere. Nolunt ergo posthabere momentaneis æterna, vanis & inanibus vera, noxiis salutaria. Quia vero peccati in natura residui desideria, ac seculi incensiva non ignorant: suis viribus diffisi, perpetuis DEUM precibus orant, ut oculos suos ab ipso vanitatum conspectu prohibeat: tantumque abest, ut pro licitis, ac reprehensionem non merentibus, oculorum auriumq; voluptates habeant; ut divinum potius auxilium contra illarum insidias implorent. Ambrosius, Prophetæ verba explicans, egregia, & digna, quæ hic adducantur, habet: *Qui, inquit, in via est DEI, vanitates non adspicit. Via perfecta Christus est: qui igitur in Christo est, quomodo vanitates potest aspicere; cum Christus in carne sua omnes hujus mundi crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos nostros a vanitatibus, ne, quod oculus viderit, animus concupiscat. Pantomimum aspicias,*
vani-

(f) Psal. CXIX, 37.

(g) I. Joh. II, 17.

vanitas est: equos currentes aspicias; vanitas est. Ante nos est
Christus; ante nos brachium ejus: ad hunc dirige oculos tuos: averte
à spectaculis; averte ab omni seculari pompa: serva eos, ut erigas
melioribus. Sic à vanitatibus avocavit suos Ambrosius; sic
reliqui Patres priscæ Ecclesiæ, Cyprianus; Tertullianus,
Chrysostomus, Hilarius, alique fecere, in memoriam fœ-
deris baptismalis, quo expressis verbis renuntiassent diabolo,
& ejus pompis, spectaculis, operibusque omnibus, audito-
res suos reducentes. Horrendum quoque exemplum, levi-
tatis excutiendæ causâ, refert Tertullianus. (b) Exemplum,
inquit, accidit, Domino teste, mulieris, quæ theatrum adiit, &
inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur
immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi: Constanter
& justissime, inquit, feci, IN MEQ. eam invenimus.
Ad nos hæc pertinere, qui in sapientiæ castris militamus,
quis dubitet? Satanam habemus adversarium, mille no-
cendi artibus instructum. In quovis nostrum, quid valeat,
occasione data experietur. Providere ergo abstinentiâ, &
omni cura id agere, ut veniens nec, quod suum est, in no-
bis, nec nos in suo reperiat, ea Christiano digna est pru-
dentia. Effugere peccatum est tela eripere diabolo: vitare
autem peccatum est vitare occasionem peccati. Inprimis
vero nobis, qui regendæ juventuti præfecti sumus, quam
maxime ineumbit, omnem curam, laborem, industriam in
id conferre, ut ab iis, quæ sæculi sunt, alumnorum animi,
oculi atque aures, quantum fieri potest, avertantur. Nudi
sint sæculo, ut Christo induantur. Frustra alias omnis est in-
stitutio, labat disciplina, pericopera. Horum nos admone-
bit, quæ cras, DEO volente, rursus celebrabitur anniver-
saria sollemnitas; ubi Leges prælegendæ nos ad officii
nostri

(b) Lib. de Spectaculis c. 26. p. 219.

nostri memoriam revocabunt : tirones vero, in superiores
classes promoti, curante CL. V. DN. JOH. URINO, Conr.
meritissimo, ac Collega mihi inprimis honorando, in con-
spectu Amplissimi confessus Patronorum, de Peccato verba
facturi, quid seculi Satanaeque sit, pro viriculis ostendent,
Quod superest, Gravissimos Civitatis Proceres, Viros
Generosos, Magnificos, Amplissimos, atque Consultissi-
mos, DNN. BURGGRAVIUM REGIUM, PRÆ-
SIDEM, PRÆCOSS. & COSS. Patronos ac Nutri-
cios Gymnasii submissa veneratione prosequendos, juxtaq;
reliquos literarum Fautores, Viros Excellentissimos, plu-
rimum Reverendos, Prænobiles, Spectabiles, Præstantis-
simos, Humanissimosq; ea, qua par est, reverentia & huma-
nitate rogamus, ut cras, hora IX. matutina, hunc actum sua
præsentia honorifica cohonestare haud dedignentur, Deumq;
Opt. Max. ut institutionem porro prosperet, ardentibus
votis invocent. Ne hujus beneficii nos unquam immemo-
res inveniant, nostra cura sedulo prospiciet. P. Elbingæ,
IV. Sept, MDCCXV.

CHRIST. JACOBUS KOITZSCH,

Gymn. Rect.

